

N. 13.

73

DISSE^RTAT^O THEOLOGICA
DE
CHRISTO HOMINE REGNANTE

IN QVA
DE EA RE DICTA IN SACRIS SCRIPTVRIS
ET EXPLICANTVR ET INTER SE CONCILIANTVR

EAM
SVMMI NVMINIS AVSPICIIS
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
SVB PRAESIDIO
VIRI SVMME VENERABILIS EXCELLENTISSIMI
DOCTISSIMI
IOANNIS AVGUSTI NOESSELT
S. S. SCRIPTVRARVM DOCTORIS ET PROFESSORIS
PVBLIC. ORDINARII
F AVT ORIS AC P RAECEPT ORIS
OMNI PIETATE AETERNV M COLENDI
AD D. XXV MAII MDCCCLXXIII
PVBLICE DEFENDET
IOANNES HENRICVS SIGISMUNDVS KOB LANCK
BEROLINAS.
HALAE AD SALAM, AERE HENDELIANO.

CHRISTO HOMINE REGENTE

卷之三十三

VIRIS MAGNIFICIS

SVMME VENERABILIBVS

EXCELLENTISSIMIS ATQVE AMPLISSIMIS

IOANNI JOACHIMO SPALDING

SUPREMI SENATVS ECCLESIASTICI CONSILIARIO
PRAEPOSITO BEROLINENSI, ET AD AEDEM DIV. NICOLAI

PASTORI PRIMARIO

GYMNASII BEROLINENSIS INSPECTORI

CET.

ANTONIO FRIDERICO

BVSCHING

SACRARVM SCRIPTVRARVM DOCTORI

SUPREMI SENATVS ECCLESIASTICI CONSILIARIO

GYMNASII BEROLINENSIS DIRECTORI

CET.

ET

WILIELMO ABRAHAMO

TELLER

SS. SCRIPTVRARVM DOCTORI

SUPREMI SENATVS ECCLESIASTICI CONSILIARIO

COLONIENSIVM AD STREAM DIOECESI

FRAEPOSITO

AD AEDEM S. PETRI PASTORI PRIMARIO

ENIGMATICAVRSE NOTIO

PATRONIS MAXIME VENERANDIS

TOT TANTISQUE BENIVOLENTIAE DOCUMENTIS

HVNCE LIBELLVM

CEV

INTEGERRIMAE PIETATIS MONUMENTVM

SACRVM ESSE VULT

TANTORVM NOMINVM

IOANNES HENRICVS SIGISMUNDVS KOBLANCK.



§. I.

Setsi minime vituperandi sunt, qui, quae sibi in Theologia minus recte tradita videantur, expungere melioraque substituere velint; propter ea quod omni tempore in Theologiam non modo illata fuerint ea, quae certa sint perspicueque a Deo tradita, sed de iis etiam hominum sententiae, non eandem cum doctrina diuina vel veritatem vel stabilitatem habentes: videndum est tamen, ne, eadem, vt alii, inscientia temeritateque laborantes, in similiaque vitia incidentes, ea, quae corrigere cupimus, etiam deteriora faciamus. Qua quidem in re valde difficilis temperantia est, vt, splendore nominis capti, neque, libertatem in sentiendo defendantes, incurramus in licentiam, neque, veritatis conseruanda studiosi, veteris inscitiae errorumque patroni reperiamur. Quod si, omni opinionum temeritate aut cupiditate detracta, institutionem Dei in sacris scripturis, tamquam certissimam ducem, vnicے sequamur, atque ita statuamus, nihil sententiarum tribuendum esse istis libris, nisi quas usus loquendi perspicuus doceat: et felicius errorem fugiemus in Theologia

A

traden-

tradenda, et satis multa occurrent, quae in hac arte rectius constitui possint.

§. II.

Etenim, quotusquisque est, ut hoc vtar, qui non videat, frequentationem troporum in sacris libris, eorum in primis qui infolentes videantur a nostraque loquendi consuetudine abhorrentes, in tanta siue lasciuia ingenii humani siue imperitia multorum qui ad interpretandas sacras literas ausi sunt accedere, magnam vim errorum non modo in interpretatione sed etiam in ipsis sententiis ad Theologiam traductis gignere debuisse? Non quo vitii causa sit in ipsis scripturis, in quibus Deus ad intelligentiam animosque fortius pellendos accommodatissime hoc genus dicendi usurpauit; sed illud malum ab interpretibus accedit. Nam si huius modi tropis non iste sensus subiiciatur, quem ferat sacrorum scriptorum consuetudo, non nostra illi saepe admodum dissimilis; si propter qualemcumque similitudinem, quidquid in mentem venerit, ad rem tropo adumbratam transferatur; troporumque vis e variis fontibus ducta in vnam conjungatur notionem: quid nisi magna rerum atque doctrinarum perturbatio efficiatur? Quod si contra e sacris scripturis troporum vim vnicet ita constituamus, ut nullus ultra earum indicia sapere, nec negligamus habere delectum significationis, quae variatur diuersitate imaginum, a quibus idem translatum est verbum: et ea facile conciliabimus loca scripturarum, quae repugnantiae speciem continere videntur, et demis iis, quibus Theologiam inquinauit molesta sedulitas imperitorum, ipsis doctrinis luminis plurimum afferemus, et circumcidemus ineptas controversias, et vel sic occurremus multis accusationibus eorum, quibus Theologia nostra, quae arte traditur, displicet.

§. III.

3

Huius rei exemplum aliquod dabimus illustrandis tropis
iis, quibus sacrae scripture Iesum tamquam regem, tamquam
imperantem tanquam viuctum representant; quo quidem admo-
ni tirones discere possint, quam non contemnda sint adminicula
grammaticae interpretationis, quantumque vim habeant ad Theo-
logiam recte conformandam. Neque enim infrequentes sunt hae
imagines in libris diuinis aut ita parum afficiunt ipsam de Iesu
Christo doctrinam, ut non magnopere de earum vero sensu la-
borare debeamus, cum vel ipsum nomen *Christi* ab huius generis
imaginibus translatum sit; nec ita perpurgatus est locus de Chri-
sto rege, eiusque regno, ut nihil errorum detergi, nihil accura-
tius constitui possit. Quod quidem rectius intelligetur cum ad
eum locum, post declaratam vim harum imaginum, perueren-
tus. Licebit autem ab hac disputatione quodam modo seiu-
gere cogitationem diuinae naturae Iesu Christi, non quo negemus
eam, aut illius nulla ratio habenda sit in Christi regia potestate
declaranda; sed libri sacri tamen, quotiescumque de eo tam-
quam rege loquuntur, illam imaginem ad Christum hominem
referunt.

§. III.

Neque vero eadem est ratio horum troporum, nec ab eo
dem fonte eodem modo ducti sunt, vbi de Christo usurpantur.
Nam primum ut *regnum* s. imperium tribuitur iis, quorum in
manu atque cura salus est rei publicae, sic ab hac imagine vario-
rumque laborum eo pertinentium perfunditione, regnandi ver-
bum ad Christi potestatem et curam eiusque varias partes trans-
fertur. Sed cum naturae aliquo sensu omnes feramur ad liber-
tatis usuram, ita vt, quo quis liberior sit, hoc se magis beatum,
et quo magis addictum se alii sentiat, hoc se miseriorem putet:

A 2

regna

regnare dicuntur etiam ii, qui nemini addicti, omninoque qui
 beati sunt et iucundissimarum rerum fructu florere videntur; fere
 vt in illo CICERONIS (epp. ad diuers. VII. 24): *olim, cum*
regnare existimabamur, sexcentisque aliis. Quae quidem signi-
 ficatio nec aliena est ab vsu loquendi sacrorum librorum. Nam
 quod Paullo Apostolo est 2 Timoth. II, 12 συμβασιλεύειν τῷ Χριστῷ,
 id quidem in loco simili Rom. VIII, 17. erat συνδοξαδῆναι ἀντῷ,
 quod vtrumque a rebus aduersis disiungitur. Neque βασιλεύειν
 ἐν ζωῇ Rom. V, 17. aliud quid potest esse quam *vivere et beatum*
eſe, quamquam non nego metaphoram ibi traductam esse a mor-
 te quae ante dicebatur regnasse h. e. tamquam tyrannus homines
 omnes prostrauisse, qua sublata per Christum, nos et viuamus
 aliquando et regnemus. Alibi quoque Paullus (1 Cor. III, 8.)
 quos modo κενοεστέρες dixerat et πλειστάς, βασιλεύσας
 postea appellat, atque optat vt cum iisdem *regnet*, vbi dubitari
 non potest, verbum regnandi notionem felicitatis continere, quam
 in se cadere negat Apostolus propterea quod perpetuis tetricmis
 que malis iactetur. In hac igitur significacione, *imperium* fructu
 suo h. e. libertate, in illa superiori, potestate et officiis aestima-
 tur. *Vnctus* autem si dicitur Iesus in sacris scripturis, posset illa
 quidem metaphora ducta esse a doctoribus, qui oleo perfunde-
 bantur eo forte consilio vt significaretur istos doctrina imbutos
 alios quoque ea imbuere debere; sed, quoniam magna pars im-
 perii, quo ille fungitur, continebatur hominibus doctrina sua re-
 gendis: facile intelligitur, vt ipsum nomen Christi, sic eius *vncio-*
nem a regia dignitate traductam fuisse.

§. V.

Diximus Seruatori nostro, tamquam homini, tribui regnum
 in sacris scripturis. Qui cum variis obnoxius fuerit et futurus
 sit conuersionibus, e quibus varia ratio et habitus erga humanum
genus

genus efficeretur, plura quasi eius regna commemorantur; quae secundum sacrorum scriptorum indicia ita declarando persequemur, ut, quo modo vnum alteri successerit, quae cuiusque ratio, qua discreparet ab alio, fuerit, ceterasque cuiusuis affectiones, diligenter explicemus. Quibus in vnum collectis planum faciemus, quem ad modum vna est continuaque beatitas sanctorum, quae a tenui initio profecta per varias conuersiones ad maiora incrementa sine fine progreditur, sic vnum esse idque perenne Iesu Christi regnum, quod, non nisi propter diuersitatem conditionis, quam ille subiit, tamquam series variorum regnum in libris diuinis constituantur.

§. VI.

Nempe vniuersi huius loci fontem quasi aperit Paullus ad Ebr. I. 8. 9., afferenda aliqua parte Psalmi XLV., vbi perenne Christo imperium s. thronus afferitur atque ita declaratur, ut, quoniam bene administrauerit regnum, propter ea vncus a Deo h. e. nouum quasi imperium consecutus fuerit. Quem locum non dubiramus ad humanam Christi naturam in primis referre, atque cum claris interpretibus, qui magnum GROTIUM sequuntur, prima eius verba: ὁ Θεός στο ὁ Θεός vertere: *thronus tuus est Deus* h. e. Deus tibi hoc imperium concessit, ut thronus non modo per metonymiam signi pro signato dicatur de imperio, sed per aliam quoque metonymiam effecti pro causa efficiente i. e. thronus pro eo subiiciatur qui Christum collocauerit in isto throno, plane quem ad modum Christus saepe numero *vita* appellatur pro eo qui vitam largitur, et Philippenses Phil. IIII, I. *gaudium et corona* Paulli h. e. ii qui Apostolum et recrearent et ei honorem conciliarent. Nulla enim vel in isto Psalmo vestigia sunt diuinae naturae Christi, et ipsa istius verba cum contexto disputationis Paullinae perspicue de humana loquuntur, ut alloquium

Christi, tamquam Dei, hic esse non possit. Atqui cum Christo hic bipartitum regnum tribuatur, tum facile est ad intelligendum, vnum ad humilem eius, quamquam alias illustrissimam, conditionem in his terris, alterum ad meliorem, quam, exantatos post cruciatus, in coelis consecutus est, perire. De illo igitur, quod humili et molestarum plena vita terminatur, primo loco dicemus.

§. VII.

Eius vero rationem ac modum, contra vanitatem opinionis Iudaicae, quae regem exspectabat talem, quales in terrarum orbe dici consueverunt, cuius visibile esset magna cum ambitione coniunctum imperium, ac potius ad conuellendam calumniam Iudeorum quod Iesus se similem Romanorum Augusto regem dixisset, ita Iesus ipse declarat apud Pilatum super ea re percunctantem Io. XVIII, 36. 37. ut primum regnum suum neget terrenum esse idque aliqua exquisita ratione confirmet, post Pilato irerum quaerenti respondeat: se vere regem esse ad imperandumque natum, sed eo consilio in terrarum orbem venisse ut veritatem doceret, nec alios ciues suos agnoscere, nisi qui sibi dicto audientes sint. Quae verba clarissime loquuntur, Iesum haec tenus regem dici, quod, cum venisset in hanc terram, Dei de salute nostra consilia transtulisset ad hominum cognitionem, omnesque per se, tamquam verae salutis auctorem, in viam beatiae vitae deduxisset. Namque id esse in *veritatis* vocabulo, quo Christus viritur, dubitari non potest per tot loca in quibus dicta de ista veritate, satis, quae sit intelligenda, produnt; veluti in Io. II, 21 seqq. ubi veritas ea, quam a principio audierint, quamque tenentes manarent cum Patre Filioque coniuncti, v. 25. declaratur per *nuntium*, quem ille, Filius, attulerit, h. e. *vitam sempiternam*. E qua re hoc magis ad Iesum, voluntatis diuinae interpretem, regium nomen

nomen poterat traduci, quod non modo populi in primis regantur legibus atque in officio contineantur, sed ipse etiam Deus Israelitarum gentem primum per doctores gubernasset, ac introducto deinceps regio imperio, nec tuum desisset illam gentem tamquam suam identidem de voluntate sua per prophetas i. e. doctores admonere. Eandem vim muneric regii sui Iesus Io. X. suauissima parabola de bono pastore persequitur, qua ipsa *Pastoris* imagine satis constat veteres regiam gubernationem adumbrasse. Et vero etiam hic in Ioannis Euangelio locus illustrior est quodam modo, et ad vniuersam naturam ac vim regiae dignitatis Iesu Christi describendam aptior. Nam quem ad modum boni regis est non modo populum legibus fisciendis conseruandisque moderari, sed etiam in constituendo imperio a potestate tyrannorum in libertatem vindicare, cum defendere aduersus hostium imperus, et pro salute populi pericula ipsamque mortem subire: sic Christus eo in loco boni Pastoris s. Regis officium non concludit docendi angustiis, sed in primis se bonum pastorem dicit propter ea quod vitam pro ouibus posuerit, ut luporum rapacium saevitiam a grege suo depelleret. Qua quidem re duo aperiuntur; *primum*, quod Christus mortem non eo tantum suscepit quo traditam a se doctrinam in eaque defendenda constantiam ipso exemplo suo commendaret; neque enim tali exemplo, sed praesente auxilio et vi illata lupis s. tyrannis grec ab imminentे periculo redimitur; *deinde* quod regium Christi munus non modo docendo contineatur sed etiam periculorum mortisque diritate subeunda. Neque alia de caussa Paullus ad Ebr. XIII, 20. Iesum, Dominum nostrum appellat *magnum ouium pastorem nisi propter profusum sanguinem suum quo foedus aeternum sanxerit*, quibus in verbis profecto agnosci oportet beniuolentiam Dei hominibus a Christo vel sanguine suo conciliatam. Quae cum ita sint, omne imperium Iesu Christi, tamquam regis, quatenus ab eo administratum est tempore

pore eo quo hac in humilitate viueret, ad propagandam Dei de salute humani generis voluntatem, eamque salutem illi multis periculis ipsaque morte Christi parandam, coniunctim debet referri.

§. VIII.

Atque vel sic intelligitur, situm esse in hoc regio munere idem illud quod mediatoris s. sequestris (*τὸς μετέτρεψεν*) nomine comprehenditur. Neque enim Iesus Deum inter ac homines aut novae conditionis (foederis) *μετέτρεψεν* dicitur vnam illam ob caussam, quod vel eius interuentu Deus homines docuerit, vel is homines morte sua placauerit Deo, sed propter vtramque. Paullus quidem ad Ebr. VIII, 15, vt alia praetermittam, hoc nomine declarando vtramque rem complectitur, atque Iesum dicit *κανόνις διαθήκης μετέτρεψεν*, quia *mortem suscepit ut delerentur peccata*, qua facta iniuitati ad fructum diuinæ benivolentiae capiendum (*οἱ κεντημένοι*) *promissionem sempiternæ felicitatis consequerentur*. Itaque eadem omnia sunt in nomine mediatoris quae in regio reperiabantur. Hanc ad personam regis quam Iesus induit in his terris ea *vocatione* referri debet, cuius mentionem faciunt loca Luc. IIII, 18 ex Esaiæ cap. LXI, et Act. X, 38. Namque in illo *vocatione* dicitur per Spiritum S. vt laetum pauperibus nuntium afferret, et quae sunt cetera eius loci dicta, in hoc, vt, inde a Ioannis sacra lustratione, benefaceret et sanaret omnes qui a diabolo subigerentur; qua re significatur istam *vocationem* contineri communicacione facultatis non modo docendi Euangeli sed etiam omnino hominibus bene faciendi. Quam prouinciam a Patre impositam cum optime eoque consilio administrauerit, vt homines ab improbitate ad veram pietatem officiumque eademque re ad certissimam beatitudinem perduceret, haec tenus *amasse iustitiam et odisse peruersitatem, eiusque imperium* (sceptrum imperii) *aequissimum* dicitur Ebr. I, 8. 9.

§. VIII.

§. VIII.

Sed istud imperium cum vita maximorum malorum plena desit et locum alii fecit eique longe excellentiori; cuius quidem primordia reperenda sunt a laeto Iesu Christi e mortuis reditu ac potius a tempore eo, quo is in caelum translatus coepit fructum capere molestiarum, quas pro generis humani salute suscepere. Quodsi enim, ut modo docui, haec noua conditio in locum superioris miseriae successit; si ista humilitas ad mortem usque deducta fuit habuitque, tamquam mercedem, honoris maximi consecutionem, quod clare dicit Paulus ad Philipp. II, 8 sq.; si pro tanta aerumnarum mole et vita ipsa ad expianda scelera humani generis profusa filios accepit h. e. discipulos quos cognitione sui iustos redderet, eique magna vis hominum, instar praedae, contigit, ut est apud Esaiam c. LIII. extr: profecto dubitari non deber, eum ab isto tempore regnasse, quo eruptus ex ipsis laboribus usuram beatae vitae cepit, imprimisque latius propagata eius doctrina quam plurimi ei tamquam domino conciliati fuerunt. Quam ob rem Iesus ipse Act. I, 6 sq. discipulis percunctantibus: an, illo tempore quo eueheretur in caelum, imperium restauraturus esset Israelitis? responder: fore ut Apostoli per illapsum Spiritum S. facultatem consequantur, ut non modo Hierosolyma, sed etiam extrebas orbis terrarum partes, imbuere doctrina Christi possent. Hanc dignitatem Christo concessam complectitur vnitio ea, cuius mentionem e Psalm XLV facit Paulus Ebr. I, 9 his verbis: *propterea unxit te Deus, Deus Tuus, oleo hilaritatis magis quam socios tuos.* Quo in loco vel ipsum nomen *olei hilaritatis* laetiorem Christi sortem significat quam pro laboribus exantlati recuperauit, nec dubitem socios Christi, quibus dignitate praestitit, non alias Pontifices sacerdotesque esse, nec angelos, nec homines propter fidem in eum illi gloria quoque similes, quod multis placuisse video, sed reges alios quos maiestate quam maxime superauit. Ad quam

B

qui-

quidem similitudinem ratio vniuersa huius loci ducere videtur, qui, cum de Christo rege memoreret, etiam prae aliis regibus praestantiam existimandus est commemorauisse, praetertim cum alibi quoque comparetur cum Davide eiusque thronum occupasse dicatur; nec locus similis apud Paulum ad Philipp. II, 9sq. qui ei *nomen supra omne nomen* h. e. maximam dignitatem ac imperium *super omne quidquid in coelis, in terris, et subter terram est*, luculenter assertit, aliam comparationem admittere videtur. Nec quidquam caussae est cur his in μετοχοῖς significationem putent esse paronymphorum, omninoque imaginem sponsi potius quam regis ad exprimentiam hanc Christi dignitatem translatam. Quamquam vel ipsa haec noui quasi imperii et dignitatis communicatio in sacris seriਪuris, nuptiarum f. coniunctii imagine adumbratur, veluti Matth. XXII, 2 seq. vbi omnes consentiant rationem hominum Christo per Euangelium conciliandorum descriptam reperiri. Neque enim in Psalmo XLV cum spacio proprio dicto comparatur Christus, sed, quoniam veterum gentium consuetudo regum coniunctionem cum iis, qui illis subditi essent, similitudine sponsi solebat exprimere, ita ut propterea Israelitarum a Deo defectio, adulterii nomine appelletur, hoc improposito quidem et a sponsorum imaginie translato sensu Christi imperium describitur.

§. X.

Hoc igitur Iesu Christi imperium propagatum est per doctrinam ab eo diuinitus traditam, quam Apostoli eius et explicarunt latius et diligenter commendarunt, qui propterea se saepe legatos Christi nominant; atque continetur administratione salutis humanae per Christi doctrinam effectionesque fructuosas huius cum doctrinae usu coniunctas; ita ut omnes huic imperio subditos oporteat agnosci, qui doctrinam Iesu Christi probantes esse ad illam hac quidem in vita accommodent. Hi coniuncti

iuncti dicuntur in vnum *corpus*, in *Ecclesiam* videlicet, cuius *caput* sit Christus. Ephes. IIII, 15. 16 sq., atque sacri libri in definitio-
da hac constitutione doctrinae Iesu Christi ad hominum salutem
propagatae frequentant vocabula *regni Christi*, *regni Dei*, *regni
caelorum*, quae non semper discernenda videntur. Nam et si apud
Iudeos *regnum caelorum* s. *Dei* proprie sit vniuersa ista oecono-
mia, quae Deum cum Israelitarum gente singulari quodam modo
copularet, quod copiosius docet S C H O E T T G E N I V S diff. I. post
horas hebraicas p. 1147 seq.: in novo quidem Testamento rarius
hoc sensu legitur, ac plerumque traducitur hoc vocabulum ad
singularem modum coniunctionis Dei cum hominibus, qui et tra-
ditus esset et effectus per Iesum eiusque doctrinam et mortem, uno
verbo per oeconomiam Christianam, quod negari propter loca
Matth. III, 2. XIII, 11 seq nullo modo potest, et alibi, e. c. Rom.
XIII, 17. hoc regnum ab ista re publica per Moysen diuinitus consti-
tuta perspicue disiungitur, nec nulla sunt loca in quibus *regnum
Christi* et *Dei* idem esse dicatur, vt Ephes. V, 5 et alibi. Propter
ea proprie *regnum Christi* appellatur Coloss. I, 13 sq. et, quoniam
constituebatur per Euangelium, hoc ipsum, *Euangelium regni
Dei* Matth. IIII, 23. VIII, 35, doctrina regni c. XIII, 19. dicitur,
denique *suscipere istud regnum* est doctrinam Christi probare Marc.
X, 15. vt alias *suscipere Christi iugum* Matth. XI, 29. *videre ac in-
gredi regnum caeleste* Io. III, 3. 5. Sed quo modo hoc imperium
administret Christus in coelum sublatuſ, id secundum scripturas
sacras paucis declarandum videtur.

§. XL

Nempe statim vt aliquis, suscepta poenitentia ac fide in Ie-
sum Christum, eius factus est discipulus, aut, quem ad modum
Paulus loquitur Coloss. I, 13 eruptus e potestate tenebrarum h. e.
peccati seruitute, atque translatus in regnum dilectissimi filii Dei;

quasi quidam ciuis huius regni existimari debet, qui, cum se Christo addixerit ut beatitate sempiterna etiam post mortem fruenterit, ciuis sit caelestis rei publicae, quam ob rem πολιτευμα h. e. ius ciuitatis habeat in coelis Phil. III, 20, eiusque nomen in coelo quasi adscriptum reperiatur Phil. III, 3.; quae metaphorae haud dubie ab albo s. tabula publica traductae sunt, cui nomina ciuium solebant inscribi. Hos igitur sic regit atque moderatur Christus tamquam sui corporis soter, qui illud nutriat ac foueat, Ephes. V, 23. et 29, ut, quoniam in re publica iam quidem his in terris constituta praeparandi sunt ad regnum illustrius, h. e. beatitudinem stabilem in coelis, quae propterea etiam saepe nomine *regni coelorum* in sacris scripturis celebratur, dupliciter eorum saluti prouideat, facultate sanctitatis largienda et gratia Dei concilianda, qua vtraque re omnis ad perennem beatitudinem via paratur. Quod vtrumque sicuti iam tum, cum inter homines conspicuo quodam modo versaretur, praefit, et istius imperii tum administrati quasi quaedam continuatio est administratio salutis humanae ab eo in caelis suscepta: sic intelligitur is eodem modo ac ratione nunc ex coelis Ecclesiam s. rem publicam suam in his terris degentem temperare; qua re efficitur ut in declaranda administratione huius regni, de quo loquimur, neutrum negligi oporteat.

§. XII.

Sed quoniam boni regis est *primum* leges sancire, quibus cognoscendis obseruandisque salus subditorum obtineatur, *tum* prouidere ut iis vti, de ciubus etiam et re publica vniuersa bene mereri possint, *denique* quod nocere iis possit auertere, in primisque ab hostiis iniuriis ciues defendere; haec omnia Iesu Christo suis prouidenti sacrae scripturae tribuunt. De *primo* quidem ipse Christus, cum his valediceret terris Apostolosque, tamquam legatos, ad imperium suum propagandum emitteret, atque dixisset Matth.

XXVIII,

XXVIII, 18: sibi datam esse omnem potestatem in caelo atque ter-
ris, statim subiicit v. 19. 20: *conciliate mihi discipulos gentes omnes
eo quod doceatis eas obseruare quaecunque vobis praeceperim.* In
quo facile perspicitur Christum *praeceptorum* suorum nomine non
modo comprehendere leges proprias h. e. mandata super istis quae
agenda fugienda sunt, sed etiam promissiones fide tenendas, quas
Euangelii vocabulo complectuntur diuini scriptores. Namque in
praeceptis Iesu hoc erat praecepit, ut crederent in se tamquam
Christum, et alio simili in loco, qui ultima eius ad Apostolos ver-
ba exhibet, diserte iubet, ut nomine suo omnibus gentibus non
modo poenitentiam proponant sed veniam peccatorum quoque
Luc. XXIII, 27.; nec dubitat Ioannes epist. I. c. III, 23. in *prae-
ceptis* Dei et proprias leges numerare, qualis erat de amore alio-
rum, et fidem in filium Dei Iesum Christum.

§. XIII.

*Alter modus administrati a Christo regni sui cernitur in con-
ferenda cuique suorum facultate ad obsequendum disciplinae suaे.
Quod quidem a Paullo ad Ephes. IIII, 15. 16. pulchra allegoria de-
claratur, quae, quem ad modum a capite partes corporis vniuer-
sae vitam, vigorem, motionemque trahunt, ut singulæ singulas mu-
tuuo ministerio adiunuent, sic docet vniuersum Christi corpus inter-
se ita concretum coniunctumque esse, virtute ea, quam a Christo,
tamquam capite, ducat, ut pars quaeque modo suo alteri
vigorem sufficiat, quo crescere et incrementa capere omne cor-
pus possit. Paulli quidem omnis oratio ibi est de Christo in cae-
los translato, qui inde omnes suis donis imbuat (*πληρώσῃ τὰ πάντα*). Huius se virtute Paullus omnia posse profitetur Philip. IIII, 13.
neque quidquam se iactare bene factorum in communicando cum
gentibus Euangeliō velle, quae non efficerit Christus Rom. XV,
18. Ac isto de genere rei publicae suaē administrandae videtur es-*

se ea, quam sacrae scripturae appellant, Christi pro hominibus deprecatio in caelis. Etenim Rom. VII, 34. haec coniungitur cum constitutione Christi ad dexteram Dei, qua in re significatio est summi regii eiusque diuini honoris, si vera est, quod ego quidem non dubito, sententia MICHAELIS V. Cel. (in collegio critico super tribus illustriss. Psalmis de Christo p. .) imaginem eam traductam esse a sede Dei in adyto s. sanctissimo loco tabernaculi diuini inter Israelitas. Nec in altero loco ad Ebr. VII, 25. 26., vbi Christus dicitur pro nobis deprecari ὑψηλότερος τῶν ἥγανθων γενόμενος, aliam rem putem intelligi, propter ea quod Apostolus et paullo post cap. VIII, 1. videtur illam formulam commutare cum altera sedendi ad dextram troni diuinae maiestatis in caelis, et Christum simili in loco c. IIII, 14 dicit διεληλυθότα τὸς ἔργων h. e. in caelum transisse, vt verba ναὶ υψηλ. τ. 80. γενόμενος vertenda sint: *qui item in caelos translatus fit.* Seiungenda est igitur ab ista depreciatione omnis significatio humilitatis et plane ita statuendum, nihil esse quod Christus ipse dare sibi subditis non possit, qui quidem ipse professus sit sibi datum esse omne imperium in caelis et in terris, quam ob rem praesens futurus sit suis omni tempore ad finem usque saeculi Matth. XXVIII, 18. 20., sibi concessam esse potestatem in homines uniuersos ut omnibus, quos ei Pater dederit, vitam sempiternam, quidni igitur et illa largiatur quae ad illam consequendam necessaria sint? Io. XVII, 2., se quoque, quidquid rogauerint nomine suo, id esse facturum, Io. XIII, 13. 14.

§. XIII.

De tertio modo quo suis prospiciat Christus, qui quidem est in subigendis hostibus, suorumque salute ab impetu et iniuriis hostium defendenda, sic loquuntur scriptores sacri, ut pateat, vel haec tenus eum regio nomine ornari. Quod quidem *primum* fit ita

ita vi, quaecunque moliantur hostes Euangelii ad impediendum eius cursum, ea irrita reddat, Psalm. II., idque victoria Christi dicitur Apocal. XVII, 14. et alibi; itemque ut in iis qui eius imperium detrectent, contumaciam vlciscatur, quam rem luculenter illustrat parabola Luc. XVIII, 12-27. *Tum* impedit, quo minus ii, qui se ei addixerint, aduersariorum fraude auferantur ad falsam doctrinam amplectendam, sed *vincant mundum* per eum qui in illis est longe superiorem iis qui in mundo sunt, ut loquitur Ioannes epist. I c. IIII, 4 seq. V, 4 5; neque enim aliis *vincendi* vocabulo sensus subiici debet, quem verum esse omnis orationis argumentum loquitur, et locus, ut mihi quidem videtur, plane similis Ephes. VI, 16 seq. Quamquam ὁ κόσμος alio quoque sensu est Io. XVI, 33 pro rebus, in primisque aduersis, quae Christi cultoribus contingent, auertendis Christi beneficio aut certe mitigandis, quem ad modum alibi, et si mitiori sensu, ὁ κόσμος occurrit Ioh. II, 16. et Iac. I, 27. coll. c. IIII, 4, ut Christus iubeat suos in mundo vexatos bono animo esse, *se* nimirum *mundum superasse* h. e. prouidere ut nihil rerum aduersarum, quae visu veniant in terrarum orbe, illis umquam noceat; quem quidem locum contulerim cum alio Rom. VIII, 35-37. Et quoniam nihil malorum grauius est peccato, quod vel optimum quemque hominem indignum beneficiis Dei perpetuaeque miseriae obnoxium reddat, haec tenus quoque suis succurrit Christus, ut pro peccatis hominum mortuus, et vero eriam ad vitam reuocatus, ut positus ad dextram Dei h. e. παντοχείρος dignitate ornatus, (ut supra formulam illam interpretabamur,) qui deprecetur pro nobis h. e. in causa sit, ne propter peccata condemnemur. Denique ut omnes homines, tamquam rei, plectuntur morte, atque hoc modo quasi sunt sub tyramni aliquius imperio, visum est quidem diuinæ sapientiae ciues Iesu Christi non eximere e communi mortalium forte, sed, cum Christo regi subiecta sint omnia, in eorumque numero vel ipsa

mors

mors referatur i Cor. XV, 26. Phil. III, 21; eos quidem olim, morte sublata, liberali caussa tamquam manu asseret. Haec satis sit indicasse, alii, si velint, latius persequantur.

§. XV.

Istam assertionem, Paullus narrat i Cor. XV, 24-28. quasi extremum huius imperii Christi actum fore, vt, sublato omni imperio ac potestate inimica imperio Christi s. subiectis sibi hostibus vniuersis, *Christus imperium tradat Deo i. e. Patri, seque subiicit ei qui sibi, Christo, omnia subiecerit, qua re fiat ut Deus sit omnia in omnibus;* in quibus verbis perspicua significatio est huius imperii Christi finem aliquando habituri. Videamus igitur quo sensu id dictum putari debeat. Principio in explicandis illis formulis: *tradet Deo imperium, ei se subiicit,* quae eandem haud dubie vim habent, cauendum est, quod vitium est in interpretando maximum, ne in ipsis plus quaeratur, quam fieri per consilium et contextum orationis Paulinae possit. Enimuero *hoc imperium Christi non refertur nisi ad illam coniunctionem Christi et suorum,* qua Christus pro iis mortuus itemque ad vitae beatae usuram revocatus eos multa per pericula, quibus his in terris obnoxii sunt, ad sempiternam felicitatem ducit; quam cum obtinuerint, sua sponte haec singularis coniunctio i. τχέσις Christum inter et Christianos cessat, illumque locum, in quo constitutus erat a Patre, s. imperium, reddit Patri. Iam quomodo, sublato hoc genere imperii, Deus dicitur *omnia in omnibus esse?* Id quidem quid sit, alia loca doceant, in quibus eadem formula occurrat. Ad Colosenses c. III, ii. Paullus: *vbi nouum, inquit, hominem s. animum induerimus conformatum ad imaginem creatoris, nulla ratio habetur siue alicuius de gentibus siue Iudei, circumcisientis siue praeputii, barbari et vero etiam Scythae, servi et liberi, sed OMNIA ET IN OMNIBVS Christus est h. e. detraecto omni hoc externo discri mine,*

mine, vna maximā ratio apud omnes habetur fidei in Christum actuosaē per amorem, vt alibi loquitur Gal. V, 26., per quam fidem omnes pares reperiamur, Gal. III, 26-28. Porro vt Ecclesia quasi corpus est Christi, sic propter ea dicitur Ephes. I, 23. τὸ πλήρωμα τὰ πάντα ἐν πᾶσι πληρωμένα, id, quod imbuatur ab eo, qui omnia sui corporis membra omnis generis donis imbuat; qui quidem sensus propter loca c. IIII, 10. 15. 16. III, 19 dubitationem nullam habere potest, nec aliter intelligenda videantur verba Coloss. II, 9. 10. quamquam a plerisque longe alio sensu accipientur. Per haec igitur loca hoc putem aperiri, tempore eo, quo Christus regnare desinit et Deus est omnia in omnibus, non porro fore opus ea disciplina, qua Deus adducendos ad salutem, dum essent in his terris, per Christum continuerit, sed Deum ipsum vel sine huius disciplinae interuentu hos in beatitate conservaturum esse omnique bonorum genere repleturum. Quae quidem res posita in cura salutis cum sacris in libris, quod saepe diximus, *regnandi* vocabulo comprehendatur: si quis τὰ πάντα εἴναι putaret idem ac παντοχάρακα esse h. e. summam imperii tenere, equidem non intercederem, idem certe sensus huius loci in vtraque interpretatione agnosceretur. Sed ea res paucis declaranda istiusque doctrinae peruentandae opportunitas praescindenda videtur.

§. XVI.

Nempe haec, quae secundum Pauli doctrinam diximus, primum sic possent intelligi, vt beatae animae per doctrinam eam, qua Christus homines in hac humili vita gubernasset, porro temperari negarentur, nec eius aliquis in caelis visus esset. Sed Paulus ipsis verbis, quibus confirmat Christum traditurum esse imperium h. e. se visu mediorum eorum, quibus homines hic ad beatitudinem sempiternam praeparauit, abdicaturum, non magis sublatum in caelis omnem huius doctrinae usum docet, quam Pe-

trus qui sperat fore ut homines profani per sanctissimos vxorum Christianarum mores *sine verbo* Christo concilientur 1 epist III, 1. 2. Neque enim haec Petri secus intelligi possunt quam quod haec morum suauitas effectura sit ut, Christianam doctrinam ex huius modi fructibus aestimantes, eam incipient amare et accuratius discere cupiant; neque alias video quo modo Euangelium *per eis* *tōr aiō:ā* dici posset 1 Petr. I, 23. aut Iesu Christus, h. e. eius doctrina, *heri et hodie et in aeternum futurus* Ebr. XIII, 8. aut quo alio modo beneficiorum Christi magnitudinem cum vera pierate in aeternum meminerint beatae animae Apoc. V, 12. 13. omninoque, tamquam naturae intelligentes, vel in officio contineantur vel beatae possint esse sine doctrina Dei per Christum tradita, aqua, ipsa natura sua, omnis generis et aetatis hominibus ad salutem accommodatissima. Sed haec tenus desinit Christus caelestes animas regere Euangelio, quod, cum hoc spem fecerit futurae beatitatis ita ut Christiani his in terris non nisi *spe* beati sint Rom, VIII, 24, ubi ipsam illam fuerint consecutae, vsus Euangeli is cesset, qui *spe* facienda continebatur, sic ut, non per fidem sed re ipsa, immortali beatitate fruantur. Deus autem sic dicitur olim futurus esse *omnia in omnibus*, ut, cum ante vsus esset Christo iisque quibus ille doctrinam suam inter homines propagandam reliquisset, per quos ab inscientia erroribusque ad Deum recte cognoscendum traducerentur Io. I, 18. VI, 46., nec nisi cum vsu doctrinæ diuinæ coniunxisset singularia beneficia, per quae aliquem veluti prægustum futurae felicitatis haberent, postea in caelis fructum capiant suavitatis præsentissimi Dei, etiam sine istius medii interuentu, ac non porro per signa tantum et tamquam in speculo, sed ipso sensu cognoscant Deum talem qualis sit, 1 Io. III, 2. 1 Cor. XIII, 12. Col. III, 3. 4. Quae cognitio eodem fere modo refertur ad eam quam per Christum doctoresque Christianos obtinuerant, quo haec ad illam qua imbuti Iudei sub imperfecta Vet. Testamenti discipli-

na

na essent. Nam cum plerique Iudeorum penderent ab institutione sacerdotum, a quibus disserent arcanam religionis Moysicae significationem, sed Christi discipuli non per umbras a doctribus illustratas sed per clariorem lucem Euangelii ipsi cognoscerent Dominum Ebr. VIII, 10. 11: sic beatae animae non modo per subobscurum Euangelium sed a Deo ipso quoque illustrabuntur.

§. XVII.

Neque vero etiam sic definit Christus regnare post mortuorum ad vitam reuocationem ut omnino nullum eius, tamquam hominis quoque, imperium sit. Nam quem ad modum Deus non se abdicavit omni imperio et facultate usque iudicandi eo quod regnum Filio suo tradidit cum potestate iudicis Io. V, 22, nec Christus omne depositum imperium cum imperio eo, quod finem in morte Christi habuit (§. VIII. init.) sed, quamquam alio modo, imperium porro administravit: non magis Christo verbis Pauli, quae de imperio in manus Patris reddito loquuntur, negatur omne imperium. Ac si usus Euangelii in caelis nequam omnis cessat, ut videmur supra effecisse, nec definit Christus interuentu Euangelii regnare; idque confirmat locus Apoc. VII, 17. Quod nisi esset, quo modo tandem imperium Christi *sempiternum*, quo modo tale dici posset cuius nullus sit finis Luc. I, 33., quod sit *eiς τὸν αἰώνα τῷ αἰώνῳ* Ebr. I, 8.? nihil huius modi certe cadit in utrumque imperium quod in hac disputatione declarauimus. Atque hoc re cogitur: *regnum Christi*, hominis, quotiescumque *aeternum* dicitur in scripturis, uniuersam prouidentiae eius continuationem complecti, qua hominum saluti, tamquam homo quoque prospiciat.

§. XVIII.

Video his, quae breui hac disputatione complexi sumus, plura addi, quae dicta sunt copiosius explicari, castigari etiam et

C 2

rectius

rectius constitui posse quaedam perperam in loco de Christo rege ab aliis tradita. Ut paucis utar, quam perturbate solent a multis commemorari dicta sacrarum scripturarum, referri ad eandem rem, quae ad diuersas referri deberent, atque ita non modo confusione locum dari sed etiam difficultatibus e quibus expedire se postea non possint? In definiendo Christi mediatoris officio solent eius aliquam partem dicere munus regium Christi; quam bene? iudicent ii qui cogitauerint quae de ysu loquendi scripturarum in adhibendis mediatoris et regis nominibus supra (§. VIII.) admonuimus. Nuper admodum conquerebatur ERNESTIVS V. V., quem honoris causa nomino, opinionis arbitrio diuulsâ esse quae in scripturis coniunctissima sint, atque demonstrabat vitiosam esse nec scriptorum sacerorum doctrinae consentaneam partitionem muneris Christi in propheticum, sacerdotale et regium, castigabat etiam hoc in loco alia (duabus prolusionibus editis anno 1768 et 69.) Recte! Et erant tamen qui vererentur, ne quid ex hac disputatione doctrina sacra detrimenti caperet, nec intelligerent, magnum Virum non labefactare rem sub istarum imaginum umbris latentem, sed peruersum eius rei in libris vulgaribus tradendae modum, et ineptas quaestiones, quibus occasionem dedisset ille παιδεῖας τρόπος. In ea re nos quoque tentauimus aliquid pro facultatis nostrae modo, et satis habebimus, si quid luminis ad huius generis loca in sacris scripturis, atque sic ad disciplinam Theologicam secundum scripturas rectius conformandam, attulerimus. Quod DEVS bene vertat!



HIVX
scripturis in aliisque rationibus superius dicitur. Nam illa, quae
in eis dicitur, non est nisi in aliis rationibus, quae in aliis scripturis
non dicitur. Nam illa, quae in aliis rationibus, non est nisi in aliis scripturis
non dicitur.

I O. A V G. N O E S S E L T
 IO. HENR. SIGESM. KOBLANCKO

S.

Cum tibi, HUMANISSIME KOBLANCKE, vistum esset nobis
 item aliquem nec iam satis aliorum diligentia excussum locum doctrinae
 Christianae me adiuuante ad disputandum proponere: facile, ut scis, de
 huius argumenti opportunitate consensimus, nec dubito eos, qui, quam
 necesse sit modum tradendae Theologiae ad vnam scripturam sacram ac-
 commodari, perspiciant, omninoque de tali re iudicare possint, facile con-
 silium nostrum probaturos et vero etiam veniam daturos esse eorum quae
 non satis bene dicta in hac disputatione videantur, si quidem fidem habue-
 rent mihi constenti: eam propter professionem TVA M et nullum fere
 meum hoc tempore otium non nisi subito et quasi discerpte scribi a me po-
 tutisse. TV vero, KOBLANCKE, magis esto virtute et doctrina, cui per
 omnem vitam academicam diligentem operam dedisti, omniaque consilia et
 studia TVA refer ad colendam veram pietatem in D E V M, et religiosam fa-
 lubris doctrinac Domini nostri, Iesu Christi, propagationem, vt contenta
 omni in sentiendo, docendo, viuendoque profana temeritate, hanc vnic
 sequaris, TEQVE tamquam ἐργάτην οὐεπαισχυτον DEO hominibusque
 semper probes. De me, cuius studium TE perspexisse spero, velim cre-
 das, numquam me immemorem humanitatis ac benivolentiae TVAE fo-
 re Vale. d. XXII. Maii A. MDCCCLXXXIII.

I O. HENR. SIGISM. KOBLANCK
 AMICO SVO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

I- F. C. LOEFFLER, SAALFELDA - THVRINGVS.

Merito tibi ego ex animo gratulor studiorum TVORVM cursum, quem
 in hac Academia laudabiliter exactum coronasti specimine eruditiois TVAE, quod
 est exquisita rerum theologicarum scientia et copia repletum; in primis pro ami-
 citia nostra, quam in hac Academia initam sancte et religiose semper coluimus.

D

Vix

Vix enim tam coniuncte, tam amanter vixisse videremur, quam quidem vere viximus, nisi ego in societatem huius T V A E laetitiae granulando certe venissem. Si est enim amici de alterius commodis aequae gaudere ac de suis, quid est de quo ego magis laetari T I B I que gratulari possim ac debeam, quam de doctrinae et scientiae copia et varietate, qua cum summum sit hominis ingenui decus ac ornamentum, animum T V V M per hos tres annos ita studiisti exornare, vt si omnes, qui literarum causa in Academias versantur, T V V M sequentur exemplum, merito bonis literis gratulandum esset. Sed de amicitia nostra. Hanc enim non sine summa animi voluptate et cogito et profiteor; haneque tam pie in hac Academia seruauimus, vt iam sit e genere earum, quae haud facile ob firmitatem suam dissoluantur. Solent enim quae in Academias contrahantur amicitiae eo esse ceteris firmiores, quo sunt remotiores a caulis iis, quae solent pestiferae esse amicitias, quales sunt honorum contentiones et alia huius generis. Quare quid magis nostrum est, quam numquam committere, vt incidunt causae, quae hanc nostram intergerrimam amicitiam turbent atque euertant. Ita vale et me, vt annas, ama. Dab. Halae d. XXII. Maii MDCCCLXXXIII.

K O B L A N C K I O S V O

S. P. D.

GEORGE FRIDRICH TREVmann,

R U P P I N E N S I S

SEMINARII REGII SENIOR ET ALVMN. REG. INSP.

Verbis T I B I, amice carissime, exprimere non possum, quam gratum mihi fuerit consilium T V V M, quo me invitabas, vt disputationi interestem: neque intuitum hortatus es; hanc enim publice tecum disputandi occasionem lubentissime arripui, quo magis animum T I B I meum publice declararem; T V enim ipse leis quanti te faciam, semperque fecerim. Summan ego profecto voti mei consequitus videor, quum in me eligendo, publice probaueris, me ad singulariter amorem T V V M pertinere. Quamquam quidem hoc amicitiae documento opus non erat, tamen eo magis consilium T V V M laudo. Quid ego dicam de eruditione T V A, qua sane plures ita antecellis, vt et Patria et omnes T V I vel optime de te sperare possint. Magnum profecto eruditiois documentum est, quod te non alienum consilium, aliena cupiditas, sed proprius ordo ad disputationem impulit. Sed si diutius in te laudando haerere vellem, offendere magis, quam laudare viderer. Noui enim moderatum animum T V V M, quo haec fida T V ORVM studia reprimere soles. Nuno reliquum nihil est, quam vt te rogem, vt me, quia disiungimus, semper habeas commendacissimum, et eum amicitiae T V A E diutius admittere velis, qui te ante multos annos souete. Ego vero opto et voueo, vt omnium cogitationum T V A R V M bonus semper sequatur eventus. Nunc bene vale et vivue, et mihi absenti fauere ne desinas precor. Dab. Halae d. XXII. Maii MDCCCLXXXIII.

I6 2205

ULB Halle
004 716 302



3

A

R

40

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



DISSERTATIO THEOLOGICA

D E

CHRISTO HOMINE REGNANTE

I N Q V A

DE, EA RE DICTA IN SACRIS SCRIPTVRIS
ET EXPLICANTVR ET INTER SE CONCILIANTVR

E A M

S V M M I N V M I N I S A V S P I C I I S
I N A L M A R E G I A F R I D E R I C I A N A

S V B P R A E S I D I O

V I R I S V M M E V E N E R A B I L I S E X C E L L E N T I S S I M I
D O C T I S S I M I

I O A N N I S A V G V S T I N O E S S E L T

S. S. S C R I P T V R A R V M D O C T O R I S E T P R O F E S S O R I S

P V B L I C. O R D I N A R I I

F A V T O R I S A C P R A E C E P T O R I S

O M N I P I E T A T E A E T E R N V M C O L E N D I

A D D. XXV M A I I M D C C L X X I I I

P V B L I C E D E F E N D E T

I O A N N E S H E N R I C V S S I G I S M V N D V S K O B L A N C K

B E R O L I N A S.

H A L A E A D S A L A M , A E R E H E N D E L I A N O .

